



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

mura, deinde aperta indignationes, quod soli Flandrenses emungerentur argento, reliquas ditionis terras perdurare immunes: non se auri montes alijs habere maiores: sinem aliquando fieri oportere exactionum: alioqui, si perseveraret emungere vehementer, sanguinem aliquando profluxurum. Ea tum in urbibus murmura volitabant.

CAPVT IIII.

Interim nec in Saxonia quies erat. Nam Ernestus Magdeburgensis archiepiscopus & administrator Halberstadensis, cum inueniret iustam indignationis causam in ciues suos Halberstadenses, paratis copijs ad iuga & plenam obedientiam eos armis adigere constituit: Nam iudicium in vrbe, quod impignortum ab episcopo tenuere, ad redemptionem, quam ille parauerat, venire non sinebant. Tum verò prefecturam in parte urbis, quæ iuris esset episcopalis, illi non permisere. Cumq; intra urbem malè essent vnanimes, intestina seditione laborantes, paratum habere & promptum negocium videbatur: Duplex nimirum gerendi belli commodum erat pontifici, quod sciret Halberstadenses cæteris Saxonia urbibus esse inuisos & exosos, quod se ab eorum communione dudum retraxissent: Deinde, quod intus feruente discordia, non vnum sentirent. Igitur post diui Iacobi diem festum, duxit in eos: Vallabat opportunis locis urbem obsidione: & immisis per tormenta lapidibus non paucis, muros deformauit & moenia. Exierat magna pridem pars capituli, suo episcopo non refragatura: Remansit tamen decanus, qui diuinum in ecclesia officium tueretur. Erat autem vir nobilis comes de Queruorde, iam ipsa canitie venerabilis, qui familiam suam cum ciuibus iussit moenia

tueri pro viribus : Cum in eo deprehensi necessarij belli articulo, quid facerent? Aliquandiu sustinere obsidionem. Cum tamen non haberent quod foris sperarent à quoquam defensionis praesidium, extra communionem caeterarum vrbiu[m] positi, & potentiam hostis sui, qua cresceret quotidie, animo perpendentes, deditonem fecere, gratiam domini sui implorantes. Accepit ille urbem in potestatem, & omne ius gubernandae ciuitatis à consulatione in se trāstulit: Cōstituit iudices, scabinos, & omnia moderatur ex hoc die pro arbitrio. Calamitosa ciuitas luit damna imprudentiae suae, & improvide defensionis intus & foris. Iam omnis mercatura deperijt: Quisq[ue] suo contenti, non querunt augere patrimonia: Viuunt in diem: nec est qui deformatos muros cum manibus aut curet, aut cogitet, aut possit reparare. Itā se res in hodiernum vsq[ue] in ea vrbe, quondam florentiae, habent.

CAPVT V.

Henricus interim & wilhelmi filius, dux Brunswicensis, qui prima sua militiae studia declarauit Hildesemensi bello, princeps ad arma natus, nec minus animo quam manu promptus, iam seruescente bello memorato, in Magnopolim cum paucis contendit: & in arce Zwerin, Margaretam Erici Pomeraniae ducis filiam, germanam duarum, quae coniugio erant sociatae duobus fratribus Magnopolensium ducibus, Magnone atque Baltazari, coniugem accepit. Sed hoc primum anno profectus in eius occursum, cum eam deduceret Bugslaus germanus eius dux Pomeraniae, octingentis stipatus equitibus, qui armis fulgerent: Ea dos erat germanae, ex constituto, uxorem excepit: eaque in turam dimissa cum dominabus & puellis, ipse expeditum

agmen